Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia Aristotelica - Cod. Ettenheim-Münster 289

Aristoteles

[S.l.], [17. Jahrh.]

Caput 1mum

urn:nbn:de:bsz:31-130062

Visual Library

vel singulari.

Dices 2do haec propositio logica est omnis homo, quod aliquis homo est logicus, tempore Adami non fuit vera. R. imo N. antecedens, quia habuit logicam infusam; 2do transeat antecedens, sed tunc non accipis utramque propositionem in iisdem circumstantiis ut bona sit conversio, sic exponendo per conditionalem: si existit logicus particularis, tunc omnis iste est homo et sic utraque erit vera.

Disputatio 3tia

De 3tia mentis operatione.

Caput primum.

Quid et quotuplex sit discursus.

Discursus logicus est illatio unius ex alio, sive progressus ab una veritate ad aliam per certam connexionem formalem, quam una habet cum alia: partes eius sunt tres, antecedens, consequens et consequentia; antecedens est una simplex vel collectio duplex propositio, ex qua infertur alia, quae vocatur consequens. Consequentia est ipsa connexio vel necessitas consequentis ex antecedente, particula ergo vocatur nota illationis, quia est signum, quod consequens sequatur per certam connexionem ex antecedente. Hinc si dicimus ergo vel N. consequentiam, sensus semper est, ergo vel N. quod particula ergo hic bene ponatur post has praemissas. Ex his

Colliges 1mo discrimen inter consequens et consequentiam, consequens est propositio illata ex antecedente, quae cum possit dubium habere sensum, distingui, et in vero sensu concedi, in altero negari potest: sed consequentia vero est ipsa connexio consequentis cum antecedente, quae cum non possit esse dubia non potest distingui, sed tantum negari.

Colliges 2do consequentiam obiectivam esse ipsam connexionem inter obiectum antecedentis et consequentis, consequentiam vero formalem consistere in terminorum et propositionum dispositione ex quibus si bene disponantur praemissae et sint verae, conclusio per certum nexum insolubilem cum antecedente non potest esse falsa.

Colliges 3tio contingere ut consequens sit verum, consequentia vero falsa, et tunc ipsum ut si dico omnis homo habet longas aures, ergo Nero fuit; utrumque verum est antecedens et consequens, sed pessima consequentia, quia consequens non sequitur ex hoc antecedente.

Colliges 4to illationem aequipollentium, consequentis ex consequentia

particularis ex universali, proprie non est discursus formalis, quia tradunt novum terminum, aut novam veritatem ponunt in consequente; nam sola conclusio est discursus formalis, unde hic subalternatio unius ex alio quae includit antea.

Multi variam autem dividit discursus. Enthymema est, in quo ex una tantum praemissa infertur conclusio ut Deus est aeternus ergo est infinitus, ut tales aliique argumentationes, sit formaliter bona debent posse reduci in bonum syllogismum.

Inductio est argumentatio, qua ex singularibus vel particularibus vel saltem minus communibus progredimur ad universalia, ut et petrus scribit et paulus et sic de ceteris, ergo omnis logicus scribit.

Exemplum est illatio a singulari ad aliud singulare propter suam similitudinem ut et petrus potest studere et paulus, ergo et ille.

Sorites est argumentatio in qua per plures propositiones de praedicato praecedentis propositionis novum semper praedicatum dicitur, donec ultimum praedicatum de primo subiecto dicatur: debet autem praedicatum, cum fit subiectum in eodem sensu accipi, alias mala est argumentatio, ut illa multis practice notissima: Qui bene bibit bene dormit etc.

Dilemma est argumentatio in qua duo membra ita inter se sunt contraria, ut alterutrum necessario debeas concedere, et quodcumque concedas tamen impugneris, ut vel scis fieri bonus logicus vel non scis fieri, quare non studes? si non vis fieri, quid hic agis.

Syllogismus iuxta Aristotelem libro primo priorum capite primo est oratio in qua positis quibusdam aliquid aliud a positis ex necessitate accidit, eo quod haec sint. hoc est syllogismus est oratio (intellige illativa ut sit proximum genus) vel argumentatio, in qua positis legitimis praemissis ipsis conclusio formaliter realiter distincta a praemissis tamen virtualiter per inviolabilem consequentiam deducitur, propter connexionem quam habet cum praemissis. Simplex habet tantum propositiones simplices, complexus saltem unam complexam ut vel petrus scribit vel paulus, sed petrus non scribit ergo paulus. absolutus habet propositiones absolutas, modalis saltem unam modalem communis medium terminum communem. demonstrativus evidenter et certo concludit, theologicus obscure, sed tamen certo, topicus probabiliter, sophisticus apparenter vere, revera autem falso.

Ceterum omnis argumentatio vel est virtualiter bona, vel materialiter tantum vel formaliter tantum vel materialiter et formaliter simul. Virtualiter bona constat unica propositione aequivalente duabus pluribus realiter distinctis ut si simul et semel affirmo Petrus est risibilis quia est rationalis, includit duas propositiones, Petrus est rationalis, omnis rationalis est risibilis; materialiter tantum bona est, cum conclusio quidem bona est, et consequens sequitur ex antecedente sed tantum ratione materiae in se, non formae unum ex altero deducentis, quia in simili forma in alia materia fieri potest ex antecedente vero conclusio falsa. Ita hic syllogismus: aliquis homo est animal, Petrus est homo, ergo est animal, est tantum materialiter bonus; similis fieri potest in alia materia ut consequens sit falsum v.g. aliquis homo est christus, sed est homo, ergo est christus; eiusmodi conclusiones vocant necessarias necessitate consequentis, sive materiae, non formae consequentiae, vel consequentis formalis. e contra si dico omnis homo currit ergo et Petrus, conclusio tantum est necessaria necessitate consequentiae sive formae propter bonam formam sed necessitate consequentis est tantum contingens, sicut Petro contingens currere, hinc consequentia et conclusio semper est evidens et certa tantum ratione formae, quia ratione materiae potest esse falsa. Formaliter tantum bona est si praemissae quidem non omnes sint verae, forma tamen tam bona, ut si praemissae essent verae, conclusio non posset esse falsa, ergo omnis asinus est rationalis, sed omne rationale est risibile, ergo omnis asinus est risibilis. Materialiter et formaliter bona est, cuius propositiones non tantum sunt verae ratione materiae sed etiam formae, sic ut in nulla materia servata simili forma ex veris praemissis sequi possit conclusio falsa, ut omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia.

Caput 2dum

De principiis intrinsecis syllogismi seu materia forma figura et modis.

Partes syllogismi sive principia intrinseca sunt duplicia, materialia et formalia, materialia sunt termini et propositiones forma figura et modus. Termini in syllogismo categorico et simplici, de quo solo hic agimus, debent esse tantum tres, quorum quilibet bis debet poni. medius terminus bis ponitur in praemissis, et nunquam in conclusione duo reliqui termini vocantur extrema, unum extremum maius alterum minus. extremum maius est ille terminus, qui in praemissis habet locum propositionem, quia locum [illegible] praedicati de medio minus extremum est terminus, qui in praemissis est subiectum; sed hoc tantum in prima figura, in 2da est utrumque extremum, et in 3tia utrumque praedicatum in praemissis, ergo in 2da et 3tia figura